salutem. Et uterque modus execrationis invenitur in Scriptura, nam illa forma jurandi execratoria erat in veteri lege : *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat,* Ruth. 1 ; et 1 Reg. 14, ait Saul : *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris, Jonatha.* Simile habetur cap. 25 , et sæpe alibi : verba etiam illa Pauli, 2 ad Corinth. 1 : *Ego testem Deum invoco in animam meam*, execrationem continent, ut exponit D. Thomas, licet simul invocationem divini testimonii contineant. Verba autem Joseph, Gen. 42 : *Per salutem Pharaonis*, de utroque juramento intelligi possunt, ut videre licet apud D. Thom. supra , et Gratian., § *Sic etiam*, 22, q. 1. Ita etiam Augustinus , Enarrat. in Psal. 7, circa illa verba : *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis : Jurare*, inquit, *videtur per execrationem, quod est gravissimum jurisjurandi genus, cum homo dicit : Si illud feci, illud patiar.* Statim vero exponit, Davidem potius dixisse illa verba prophetando quam jurando ; nihilominus vero satis significat Augustinus, quod si dicta fuissent execratorio modo , gravissimum juramentum continerent. In jure etiam canonico indicatur hæc forma juramenti execratorii, *sub periculo animæ*, c. *Fraternitatis*, de Frigidis et maleficiatis ; item illa forma : *Sic Deus me adjuvet*, execratoria est ; nam virtute continet, ut si juramentum non implevero, Deus non me adjuvet, c. *Ego N.* , eod. Denique hic modus jurandi per execrationem frequentissimus est, et inter Gentiles videntur tales fuisse illæ dicendi formulæ : *Me conveniat Janus iratus*, *Nolo mihi Jovem propitium*, de quibus apud Tertullianum, in Apolog., c. 28, et multa de moribus Gentilium in execrationibus refert Covar., ex Tito Livio, Cicerone, Aulo-Gellio, et aliis supra, § 1, num. 8.

10. *Dubium.--Resolutio.*—Circa hanc vero divisionem inquirit primo Cajetan., d. q. 89, art. 1, an hæc duo juramenta specie differant, et ratio dubitandi est, quia execratio fit per quamdam maledictionem, quæ longe differt a cultu. Nihilominus resolutio certa est, non differre specie in ratione juramenti ; ita docet Cajetanus, quem omnes sequuntur ; et ratio est, quia in utroque invocatur Deus in testem sub eadem ratione formali ; quod autem determinetur testimonium ad hanc vel illam declarationem testimonii, per ostensionem talis vel talis operis, circa hanc vel illam creaturam, materiale est ad rationem testimonii. Unde multo clarius hoc est in his juramentis, quam in juramento assertorio, et in promissorio, quia ibi videbatur inveniri aliqua diversitas secundum rationem formalem, etiam ex parte testimonii divini ; hic autem mere materialis est, ut ex dictis constat. Ideoque tam promissorium quam assertorium juramentum potest his duobus modis fieri, ut constat ex usu et exemplis adductis. Et similiter, tam juramentum simplex quam solemne potest per simplicem invocationem, vel cum execratione fieri ; quia uterque modus est aptus ad privatum et publicum juramentum. Imo execratio non solum verbo, sed etiam opere interponi aut significari potest ; talis enim fuisse videtur olim modus purgandi se ab aliquo delicto per sumptionem Eucharistiæ, ut supra exposui, tract. 3, libro primo, cap. 3, in fine ; signum ergo est hos duos modos jurandi accidentarios esse ad rationem juramenti. Imo in eodem juramento utrumque conjunxisse videtur Paulus, 2 ad Corint. 1, in verbis supra citatis ; nam prius dixit : *Testis sit mihi Deus*, quod ad juramentum invocatorium pertinet ; cum vero adjunxit : *In animam meam*, non addidit novum juramentum, sed modum divinæ testificationis determinatum.

11. Nec refert quod juramentum execratorium videatur quamdam maledictionem involvere ; tum quia non includitur ibi formaliter, sed solum materialiter, quatenus effectus ille proponitur ut futurum indicium veritatis, et divinæ testificationis ; tum etiam quia illa execratio revera non profertur ut maledictio, quia non profertur ex animo, et intentione ut id eveniat, sed veluti per quamdam exaggerationem veritatis, et ut signum divini testimonii. Nam qui sic jurat, potius ostendit animum aversum ab illo malo quod imprecatur ; unde si verum dicit, in hoc ipso ostendit se formidare et fugere tale malum, quod alienum est a maledictione. Si vero mentitur, quamvis verbis videatur sibi imprecari malum sub quadam conditione, quæ in re inest, nihilominus non oportet fieri ex animo, sed ex quadam temeraria audacia, quia nimirum sperat Deum non facturum tale signum, nec daturum testimonium, ut generaliter de omni perjuro dixit D. Thomas 2. 2, quæst. 13, art. 3, ad 2. Et ideo merito dixit Cajetanus supra, eum, qui pejerat per execrationem, non committere duo peccata, unum perjurii, et aliud maledictionis, quia revera illa non est maledictio. Videtur autem non parum augeri inde malitia et temeritas juramenti, præsertim si malum imprecatum spirituale sit, ut æterna damnatio. Quod si execratio sit per ordinem ad alterum, cui specialis honor et reverentia debeatur, etiam videtur contra illum peccari ; ut si quis falsum jurat per vitam patris aut regis, videtur quidem in observantia vel pietate deficere, quamvis fortasse specialis malitia, ex illa circumstantia sumpta, non sit mortalis, secluso odio et contemptu.

CAPUT XIII.

DE VARIIS JURANDI FORMULIS.

1. *Quæstio.* — Tam in juramento invocatorio quam in execratorio, sunt in usu hominum plures verborum formæ, partim certæ, partim dubiæ, quas explicare necesse est : sed quia illæ possunt in infinitum multiplicari, solum illas, quæ magis usitatæ sunt, attingemus. Ante omnia vero interrogari potest, an sit necessarium uti hoc verbo, *juro*, ut verum fiat juramentum. Nam aliqui canonistæ id affirmarunt, ut Cardinalis, in c. 2, de Sponsalibus. Id autem sine fundamento dicitur, quia sufficit jurare in actu exercito (ut sic dicam), etiamsi non explicetur actus ipse jurandi in actu signato ; verbum autem *Juro*, solum deservit ad exprimendum actum jurandi posteriori modo : ergo. Major constat ex jure, nam sæpe ponuntur formæ jurandi sine tali verbo, ut in cap. *Ego N.*, et c. *Et si Christus*, cum aliis, de Jurejurando. Item Paulus non dixit : *Juro*, sed : *Testis mihi est Deus ;* et olim dicebant Prophetæ : *Vivit Dominus*, et Gentiles dicebant : *Me Hercule*, teste Tertul , de Idololatria, cap. 20. Et ratio est, quia invocatio Dei in testem sufficienter fit per verba quæ illam exprimant, sicut ad orandum non oportet uti verbo *Peto*, sed exercere petitionem, dicendo Deo : *Adjuva me*, vel quid simile ; sic ergo est in præsenti. Est res satis clara, quam notavit Panorm., in cap. *Querelam*, de Jurejurando, num. 2 ; Sylvest., verbo *Juramentum*, 1, q. 1 et 6 ; Soto, d. quæst. 1, art. 1 ; et Covar. supra, in principio, num. 7.

2. Sed quid, si aliquis loco verbi *Juro*, dicat *Voveo*, quando materia non est capax voti, sed juramenti, ut facere solent Hispani, quando his verbis utuntur , *Voveo Deum ita esse, vel non esse?* Respondeo illud esse juramentum, et valde grave ; nam, licet illi ineptissime utantur verbo vovendi , cum nihil promittant, neque id intendant, neque materia sit capax, ut recte dixit Covar. supra, § 7. num. 9, vers. 7, *Patet*, nihilominus in re est verum juramentum, et grave, ut sensit Soto, d. art. 1, circa finem. Quia intentio proferentis revera est jurare, et ad hoc invocat Deum ; et quamvis abutatur verbo , tamen jam ex abusu habet illam significationem, et apud Deum sufficeret, quod jurans illum sensum intenderet ; verumtamen etiam apud homines ex consuetudine et circumstantiis consurgit sufficiens significatio. Dubitari autem solet an ille modus jurandi blasphemiam habeat conjunctam ; nam id significat Soto, cum ait esse illud juramentum pejore nomine dignum ; sed in rigore non est blasphemia, quamvis indicat majorem quamdam irreverentiam et audaciam, et hoc sentit Covar. supra.

3. *Dubium.* — Potest autem e converso interrogari, an solum verbum *Juro*, nulla addita determinatione, ut : *Juro me facturum hoc*, vel , *hoc ita esse*, sufficiat ut assertio vel promissio jurata censenda sit. Aliqui ita censent, quia idem est *Juro*, quod *Juramentum facio ;* sed juramentum simpliciter dictum est attestatio per divinum testimonium ; ergo qui sub illo verbo aliquid profert, eo ipso vere jurat. Alii vero non putant sufficere nudum illud verbum, quia illud de se indifferens est ad verum et fictum juramentum ; et quamvis in dialectico rigore verbum sit analogum, et ideo simpliciter dictum videatur stare pro principaliori significato, nihilominus, moraliter loquendo, et ex usu, videtur indifferenter sumi. Unde sæpe additur aliquid distrahens rigorem verbi, ut cum quis dicit : *Juro per hanc barbam*, vel : *Juro per me ipsum ;* in vulgari : *Juro ami, Juro por quien soy*, vel *Juro atal*, nihil in particulari exprimendo, et in his formis jurandi certum est non fieri juramentum ; ergo idem est, cum solum verbum *juro* profertur ; imo, eo ipso quod lingua reprimitur et ibi sistit, indicatur animus loquentis, quod noluerit juramentum perficere.

4. *Solutio.*— Sed in hoc quod ad conscientiam attinet, judicium sumendum est ex intentione jurantis ; nam revera verbum ipsum capax est utriusque intentionis sine fictione vel speciali culpa, ut probant rationes factæ ; tamen per se, et ex vi verbi in sua rigorosa significatione, sine dubio sufficit ad jurandum. In usu tamen considerandæ sunt circumstantiæ ; nam ex modo proferendi verbum, intelligi poterit quo sensu dicatur ; vel ex antecedenti sermone, si ab aliquo petatur ut juret, vel si negotium id postulet, colligi potest an profera-

tur ad confirmandum juramentum; aliunde vero ex conditione personæ, vel ex modo loquendi, conjici potest ibi constitisse ut a jurando abstineret. Quod maxime erit certum, quando aliquid additur leniens rigorem verbi, ut in exemplis adductis, et in aliis, quæ sunt frequentia, ut: *Juro adiez*, vel: *Per cœlum lecti*, vulgo *de la cama*, et similia.

5. *Aliud dubium.* — Ulterius vero dubitari potest, quando sine illo verbo nomen Dei assumitur ad exaggerandam vel confirmandam veritatem, quis modus de se sufficiat, ut juramentum esse intelligatur; sunt enim variæ formulæ, ut: *Per Deum, Scit Deus, Testis est Deus, Testem Deum invoco;* item: *Vivit Dominus, Coram Deo, In præsentia Dei*, et similes. Ex quibus prima est indubitata apud omnes, etiam hæreticos, teste Augustino, Epist. 89, in fine, et constat ex communi usu, et sensu omnium, et ex vi illius particulæ *per;* nam per illam inducitur Deus ut testis veritatis, nec in illa locutione potest alium sensum habere. Unde potius est cavendus excessus in hac formula jurandi quoad modum nominandi Deum, nam potest juramentum in blasphemiam declinare: quod duobus modis potest contingere. Unus est, si assumatur nomen Dei cum execratione, et talis esse censetur, quando dicitur, *Per vitam Dei*, ut supra tetigi, tract. 3, lib. 1, c. 6, num. 11. Alius modus est, quando contumeliose nominatur Deus, ut in cap. *Si quis per capillum*, 22, q. 1, ut dicto loco etiam tractatum est.

6. *Solutio.* — De aliis vero formis fere omnibus, Augustinus supra, dicta Epistola, refert sensisse Pelagianos, illas non sufficere ad jurandum, quia non continent illam particulam *per*, et quia in Paulo inveniuntur illi modi loquendi, de quo putabant non posse credi quod juraverit. Sed in hoc secundo videntur supponere errorem, quod Paulo non licuerit jurare. Et deinde illos coarguit Augustinus, quia etiam Paulus usus est particula *per*, ad jurandum, 1 ad Corinth. 15: *Quotidie morior per gloriam vestram, fratres.* Item quod illa particula non sit necessaria, convincitur ex illo Jerem. 4: *Et jurabunt: Vivit Dominus*, ibi enim non additur particula *per*. Et videtur illa forma jurandi consueta illo tempore (ut constat ex usu Prophetarum), ad abstrahendum illum populum a jurando per falsos Deos et idola, quæ in Scriptura distinguuntur a Deo vivente, Dan. 14: *Quia erant inania simulacra, et non Deus vivens.* Unde non solum verbo, sed etiam exemplo voluit Deus illum jurandi modum populum illum docere, Num. 14: *Dixit Dominus: Dimisi juxta verbum tuum, Vivo ego*, etc. Et iterum: *Dic ergo eis: Vivo ego, dicit Dominus, sicut locuti estis, audiente me, sic faciam vobis.* Unde idem judicium proferendum est de illo verbo, prout nunc usurpatur communiter ad jurandum. Nam, licet propositio illa tantum videatur esse assertio quædam modi indicativi æquipollens huic, *Deus est vivens*, nihilominus ex peculiari impositione et recepta consuetudine (quæ ad imitationem Scripturæ, et antiqui populi, est in Ecclesia continuata), usurpatur ad invocandum Deum viventem, vita scilicet perfectissima, ac subinde omnia scientem et judicantem. Et ideo de se juramentum est, quando cum promissione vel assertione aliqua conjungitur, nisi alia sit intentio jurantis, quæ exceptio in conscientia generalis est, ut dixi.

7. Verbum autem illud, *Testem Deum invoco*, magis formalem et expressam jurationem continere videtur, quam verbum illud, *Per Deum*, et non minorem, quam si adderetur verbum *juro*, quia continet in exercitio ipsam definitionem juramenti, ut ex dictis constat; quare de illa forma nulla vel apparens dubitatio esse potest. Illud autem verbum, *Testis mihi est Deus*, posset quidem accipi in vi solius cujusdam affirmationis, ut de aliis statim dicemus; nihilominus tamen de se, et prout est in communi usu, habet vim juramenti, teste Augustino supra, et super Epist. ad Galat., cap. 1, in fin., et lib. 1 de Sermon. Domini in monte, cap. 30, alias 28, quem D. Thom., art. 1, ad 3, sequitur. Et revera hanc vim habet apud Paulum ad Rom. 1, ad Philip. 1, ad Thessal. 2: *Vos testes estis, et Deus.* Et ratio est, quia, considerato modo et usu loquendi, et occasione in qua tale verbum profertur, non enunciatur quasi speculative, vel per modum confessionis ejusdem veritatis, sed pronuntiatur practice et invocative, ut aiunt. Idem judicium putant multi esse de hac, *Deus scit;* ita docet Sot., d. quæst. 1, art. 1, circa finem, ubi sentit, Petrum jurasse, Joan. 21, cum Christo respondit: *Tu scis, quia amo te;* quod etiam sentit Maldonatus ibi Patres referens. At Navarrus ait, si dicas: *Deus scit an verum dicam*, non esse juramentum; si vero dicas: *Deus scit me verum dicere*, esse juramentum; Cajetanus autem simpliciter negat. Et revera locutio satis dubia est, quia sæpe videtur proferri solum per modum enunciationis, non ad jurandum, sed solum ad ostendendam perfectam considerationem et animadversionem loquentis, ut intelligatur se non fuisse ausurum ita loqui, nisi vera diceret, cum non ignoret Deum veritatem scire. Vel, ut Soto ait, viri timorati sæpe per illa verba submittunt tantum sermonem suum scientiæ divinæ, quomodo dixisse videtur Paulus, 2 Corinth. 11: *Quare? quia non diligo vos? Deus scit.* Igitur hoc verbum multo magis pendet ex intentione loquentis.

8. Idem judicium est de illa locutione, *Coram Deo*, vel, *In conspectu*, aut *In præsentia Dei*, nam possunt verba tantum enunciative proferri ad conciliandam reverentiam, et credulitatem in illa fundatam; ut si quis loquens cum alio coram rege, dicat se non dicturum mendacium coram rege, non propterea censeretur adducere regem in testem. Nihilominus frequenter solent illa usurpari, tanquam formulæ jurandi, ut D. Thomas supra docet cum Augustino, qui ita etiam interpretatur illud Pauli ad Galat. 1: *Coram Deo, quia non mentior*, quia dictum videtur ad confirmandam veritatem infallibili auctoritate Dei. Solet autem Paulus cum illis verbis adjungere verbum testificandi, ut 1 ad Timot. 5: *Testificor coram Deo.* Item, 2 ad Timot. 2 et 4, et tunc videtur expressius esse juramentum, quod imitatus est Augustinus, Epist. 137, dicens: *Simpliciter fateor charitati vestræ coram Deo, qui testis est supra animam meam:* refertur in cap. *Quantumlibet*, 47 d. Idem vero Augustinus, serm. 28 de Verb. Apost., cap. 9, de se refert, cum sibi immineret necessitas jurandi, usum fuisse illis tribus formulis, *Coram Deo*, aut *Testis est Deus*, aut, *Scit Christus sic esse in animo meo.* Denique valde usitata est forma jurandi, *In veritate Dei*, sicut Paulus dixit, 2 ad Corinth. 11: *Est veritas Christi in me;* et simile est illud ad Rom. 9: *Veritatem dico in Christo, non mentior;* vulgari autem modo loquendi dici solet, *Deus est veritas*, et postea subjungitur, quod affirmari vel negari intenditur; Hispan.: *Dio es verdad, que es assi*, etc. Quæ verba etiam sunt valde ambigua, magisque pendent ex circumstantiis et intentione, ut de aliis dictum est; in his autem maxime cavendum est ne addatur particula comparativa, *Sicut Deus est veritas*, quia in rigore talis comparatio continet blasphemiam, ut dixi d. tract. 2, lib. 1, cap. 6; et hæc videntur sufficere de formis jurandi per Deum expresse.

9. *De hac forma*, In fide *vel* Per fidem meam. — Circa alias vero formulas, in quibus non Deus ita expresse nominatur, dubitari maxime solet de hac forma, *In fide mea*, vel, *Per fidem meam*, an in rigore contineat juramentum. Multi enim jurisperiti affirmant, ut videre licet apud Felin., in c. *Querelam*, de Jurejurando, n. 7, ubi refert Innocentium et alios; idemque sentit ibi Panormit. num. ult., et alios refert Covar. supra, § 2. Fundantur in aliquibus decretis, in quibus significari videtur, eum, qui fidem frangit, esse perjurum; vel e converso, eum, qui dat fidem, teneri virtute juramenti, seu, quod idem est, religionis: quando autem aliquis dicit: *Per fidem meam*, vel quid simile, præstat fidem; ergo. Major patet ex c. *Ad aures*, De iis quæ vi, etc., ibi: *Nisi forte juramento, vel fide interposita*, etc., et c. *Querelam*, Ne Prælati vices suas, ibi: *Præstita fide*, et c. *Pervenit*, de Fidejussoribus, ibi: *Religionem fidei, et juramenti sui, eos violasse constiterit.* Afferri etiam solet c. *Juramenti*, 22, quæstione quinta, ubi dicitur: *Dominus, inter juramentum et loquelam nostram, nullam vult esse distantiam;* et infra concluditur: *Qui verum loquitur, jurat, quia scriptum est: Testis fidelis non mentitur;* quod maxime videtur intelligendum de illo, qui sub fide sua affirmat se dicere verum. Alii utuntur alia ratione, quia qui fidem suam jurat, cum sit Christianus, intelligitur affirmare per fidem Christi, quia fides simpliciter dicta inter Christianos hoc significat, et verba intelliguntur accipi in famosiori significato; tum etiam quia, licet res esset dubia, inclinandum esset in favorem juramenti et animæ. Et hoc modo sentiunt Alciat. et alii, quos refert et sequitur Anton. Padilla, in Leg. *Si quis major*, Cod. de Transactionibus, n. 33.

10. Hæc vero sententia communiter non recipitur, sed distingui solet inter fidem simpliciter interpositam, vel cum aliquo addito. Quando priori modo fit, recepta sententia est, illud in rigore verborum non esse juramentum. Ita tenet Cajet., d. q. 89, art. 6; Sot., d. q. 1, art. 6; Covar., d. § 2; Navar., d. c. 12, n. 2, et communiter moderni Theologi et Summistæ; et Pinel., in leg. 2, C. de Rescin. vendit., 3 p., num. 13; et Avend., lib. de Exequendis mandatis regum, c. 27, n. 6; et Joan. Gutier., in Authentica Sacramenta puberum, C. Si adversus venditionem, num. 149. Fundamentum est, quia talia verba simpliciter prolata intelliguntur de fide humana; et ideo per illa verba non adducitur Deus in testem, sed jurans tantum affert in testimonium veritatis suam fidelitatem; quod solum est per seipsum jurare. Et ideo talis locutio

non addit robur et auctoritatem assertioni, sed solum addit majorem quamdam exaggerationem, et declarationem assertionis loquentis, sicut infra in simili dicemus de juramento Dei.

11. Hoc tamen fundamentum non satisfecit Ferdinando Mendozæ, in Disputationibus de Pactis, lib. 1, c. 6, q. 3, quia major propositio, scilicet verbum, *Per fidem*, simpliciter prolatum, intelligi de fide humana, non probatur a dictis auctoribus, et ideo ipse nova distinctione utendum esse putat, considerando qualitatem et conditionem personæ loquentis; nam in personis nobilibus putat non esse juramentum, quia jurare solent in fide suæ nobilitatis, et ideo, licet interdum omittant illud additum, intelligitur casu omitti, et in eodem sensu verba proferre. In plebeis autem hominibus, putat fidem simpliciter prolatam intelligendam esse catholicam et christianam, tum quia cum non habeant illam qualitatem nobilitatis, censentur jurare per fidem, quæ sit virtus; tum etiam quia ipsi nomine fidei non solent intelligere fidelitatem, imo ordinarie ignorant talem illius vocis significationem; et ideo per christianam fidem jurare censendi sunt.

12. Sed hæc distinctio admittenda non est, quia revera non habet fundamentum, et est contra communem modum concipiendi; nam, sicut nobiles jurare solent in fide nobilitatis suæ (*A fe de hidalgo, de quien soy*), ita vulgares homines affirmare solent, *In fide boni viri, aut verii sui*, vel quid simile (*A fe de hombre de bien, De hombre de mi palabra, A fe de verdad, o De veras*). Ergo hæ dictiones satis indicant, eos nomine fidei significare solere fidem moralem, quam alias veritatem vel fidelitatem vocamus, quamvis fortasse nesciant distinguere inter horum verborum significationes, quod etiam multi nobiles ignorant; ergo etiamsi ignobiles omittant illud additum, intelligentur simpliciter jurare, *In fide boni viri*, nam est eadem ratio. Neque enim nobiles in alia fide jurant, licet exprimant nobilitatem suam; sed quia ipsa nobilitas postulat majorem quamdam excellentiam veritatis in verbo viri nobilis, ideo censent suam fidem moralem esse majori fide dignam, et ideo exprimunt illam conditionem. Ignobiles vero, quia illam qualitatem non habent, debitum boni viri ante oculos ponunt; utrique ergo in fide morali seu fidelitate affirmare intendunt. Et sine dubio hoc verbum Hispanum, *A fe*, vel, *Por my fe*, univocum esse censetur in ore nobilium et ignobilium, et illi fere respondet vox Latina, *profecto*.

13. *Approbatur communis sententia.*—Vera est ergo sententia communis, et principium, quo nititur, fundamentum habet tam in communi usu, et sensu loquentium, quam audientium; nullus enim putat sibi esse rem sub juramento promissam, propter solam similem attestationem, a quocumque fiat, neque communiter homines in hoc distinguunt inter nobiles; significatio autem verborum maxime ex communi usu petenda est. Et ad hoc confirmandum induci potest cap. penul. de Jurejurando, cum iis, quæ in principio circa illud notavimus: nam ex illo textu sumitur, quando verbum est valde ambiguum, præsumendum esse in salutem animæ, quia juramentum est stricti juris propter periculum, et gravitatem ejus, quod maxime habet locum, quando communis usus favet benigniori interpretationi. Accedit, quod modus ille attestandi non videtur esse proprius Christianorum, sed communis Gentilibus, et Paganis: ergo non est intelligendum illud verbum de fide Christiana, sed de morali fide, quæ omnibus est communis. Et ita responsum etiam est ad Alciatum, et alios.

14. *Soto limitatione utitur in his formis jurandi.*—Soto vero in d. quæst. 1, art. primo, limitatione quadam seu distinctione usus est: nam si dicatur *In fide*, dicit non esse juramentum; si *Per fidem*, dicit videri juramentum (*A fe*, vel, *Por my fe*). Verumtamen si fides eodem modo accipiatur, ut accipi debet simpliciter prolata, juxta dicta, parum refert dicere *In*, aut *Per*, quia per neutram particulam adducitur Deus in testem, ut ex hypothesi constat. Si autem e contrario fides in alio sensu proferatur, qui ex parte illius ad juramentum sufficiat, juxta dicenda statim, non solum dicendo *per*, sed etiam dicendo *In fide*, erit juramentum, quia ut diximus, particula *per*, non est necessaria ad jurandum, et ipse Sot. dicit, Paulum jurasse, dicendo: *Veritatem dico in Christo*, ad Rom. 9, et 2 ad Corinth. 11: *Est veritas Christi in me*; ergo illæ particulæ ex parte sua non variant rationem juramenti, et ita idem Soto supra, art. 6, indifferenter et absolute ait: *Dicere, Per fidem meam, aut, In veritate mea, non est juramentum*. Idem habet in Relect. De juramento, cap. 4; et ex professo Sylvest. cum Bonavent., *Juramentum*, 1, quæst. 5.

15. Alii addunt limitationem, Nisi quis interponat fidem suam intentione jurandi; quia

hæc intentio virtualem in Deum relationem includit, et consequenter qui hac intentione jurat per suam fidem, eo ipso jurat per illam, ut relatam ad Deum; juramentum autem per creaturam, ut relatam ad Deum, est verum juramentum, ut supra dictum est, et habetur in c. *Et si Christus*, de Jurejurando. Quod autem illa intentio dicat habitudinem ad Deum, patet, quia juramentum dicit habitudinem ad Deum, ut dictum est; ergo qui interponit fidem suam cum intentione jurandi, refert fidem suam ad Deum.

16. Sed si accurate explicetur talis intentio, limitatio ex una parte non invenietur vera, et ex alia invenietur non necessaria. Dupliciter enim potest haberi illa intentio jurandi (quod in tota hac materia est maxime considerandum), quando id, per quod juratur, vel signum externum jurandi de se non est sufficiens ad juramentum. Primo enim haberi potest illa intentio cum sola conscientia erronea, quæ facit ut duæ intentiones, seu voluntates, inter se repugnantes, simul conjungantur; verbi gratia, Gentilis intendit jurare, et simul vult tantum adducere in testem suum idolum ex conscientia erronea, qua putat illum esse Deum; talis ergo intentio jurandi non sufficit, ut sit juramentum quod profertur, sed solum ut putetur, ut supra, cap. 5, tactum est. Secundo modo potest haberi hæc intentio jurandi absque errore, et tunc necesse est ut qui hanc intentionem habet, et jurando solum nominat creaturam, eo ipso intendat illam interponere cum aliquo respectu ad Deum. Sic ergo qui aliquid confirmat per fidem suam cum intentione jurandi, potest habere intentionem ex ignorantia, putans ad jurandum satis esse interponere fidem suam per se spectatam, et sine ullo respectu ad Deum, et inde non minus obligari, quam si per Deum juraret; et tunc illud non est juramentum, sed putatur, et ita peccari ibi posset contra juramentum ex conscientia erronea; ablato autem errore non manebit obligatio. Et in hoc sensu dico limitationem non continere veritatem, quia revera tunc non invocatur Deus in testem, sed putatur testimonium, datum ab ipso jurante sub sua fide, ad juramentum sufficere. Et ita etiam cessat ratio in contrarium, quia, licet jurare in suo vero conceptu includat habitudinem ad Deum, in apprehensione illius ignorantis illam non necessario includit, et ita neque in intentione ejus continetur.

17. Si autem nullus interveniat error, sed habens illam intentionem, vere intelligat quid sit jurare, tunc vera est illa doctrina; quia si alia intentio est efficax, necesse est ut interponat fidem suam cum habitudine, quæ ad jurandum per Deum sufficiat, sive ipse distincte illam cognoscat, ut quod ipsa fidelitas humana est quædam participatio divinæ veritatis et bonitatis, sive tantum confuse velit per fidem suam jurare, tanquam per quamdam creaturam Dei. Dico tamen in hoc sensu limitationem non esse necessariam; tum quia hoc commune est omni juramento per creaturas; tum etiam quia Doctores citati loquuntur de ordinario et morali modo proferendi verba illa. Non est autem in usu hominum usurpare hæc verba ad testificandum per fidem, sicut per aliam creaturam, relatam ad Deum, sed solum ad confirmandam veritatem ex merito talis virtutis, prout humana est, et quatenus is, qui loquitur, eam se habere et exercere profitetur. Igitur simpliciter loquendo illæ formulæ exaggerandi (ut sic dicam) propriam veritatem, juramenta non sunt.

18. *De variis additis.* — At vero quando non absolute fides, sed cum aliquo addito interponitur, interdum res clarior, interdum obscurior est. Erit quidem res clara, si additum sit diminuens, et quasi distrahens fidem ad meram conditionem humanam. Hujusmodi sunt omnia illa, *In fide regia, In fide viri nobilis*, Hispane, *A fe de hidalgo, In fide boni viri*, et similia, quia per hujusmodi particulas clare determinatur fides ad humanam, et sub respectu humano, seu pure morali; et ideo tota illa assertio et confirmatio non transcendit humanæ fidei testificationem, ac proinde non est juramentum, et in hoc omnes conveniunt. Erit autem locutio obscura et ambigua, si additum etiam ambiguum seu obscurum sit. Primum exemplum vulgare est, si addatur *Bona fides* (Hispane, *En buena fe*), tunc enim esse juramentum censent Pinel., Avendan. et Guttierez supra, et favet quædam lex hujus regni, lib. 4 Ordinationum, tit. 3, in principio. Verumtamen juxta communem usum, et sensum sic loquentium, præsertim inter Hispanos, verba illa *En buena fe*, non censentur continere juramentum, et ita etiam sentiunt Cajetan., Sot., Navar. et alii. Et ratio est, quia etiam fides humana bona est; ergo per illud additum non determinatur fides ad divinam; ergo gratis et sine fundamento aliud dicitur. Item nihil aliud est dicere: *In bona fide*, quam, *In ea fide, quæ est virtus, et debet studiose exerceri*; hoc autem totum non transcendit fidelitatem humanam. Item loco juramenti dicere